



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 8. Quinam est Minister idoneus Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

quatrimum, prout ab Ecclesia propria præscribitur. Et verò in teneris infantibus semper est aliquod subitæ mortis periculum.

Q. 8. Quinam est Minister idoneus Baptismi?

Resp. I. Quilibet homo viator ratione utens potest in quovis casu validè baptizare. Constat ex Conc. Later. Gener. c. *firmiter*, definiente *Baptismum tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficere ad salutem*. Et ex traditione & praxi Ecclesiæ, nunquam rebaptizantis à quovis ritè baptizatum. Nemo tamen potest seipsum baptizare, c. 4. *de Bapt.* nam requiritur distinctio inter generantem & genitum spiritualiter.

Resp. II. Solus Sacerdos sive sit Episcopus, sive Presbyter est Ordinarius Baptismi Minister: Diaconus verò tantùm extraordinarius. Prob. ex Conc. Florent. in decreto de sacram. ibi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, imò etiam paganus, & Hereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Quare extra necessitatem sub mortali baptizare non licet, nisi soli Sacerdoti, & quidem juxta omnes Pastori, vel ejus delegato; quia potestas & jus admittendi ad Ecclesiam pertinet ad Pastorem, qui præest illi Ecclesiæ, particula

seculari: cui Baptizatus aggregatur. Homo autem per Baptismum recipitur in Ecclesiam; & fit ejus membrum. At mortale est jus alienum propriâ auctoritate usurpare in re gravi; præsertim contra debitam gubernationem, ordinem, & usum Ecclesiæ.

Resp. III. In casu necessitatis quilibet tenetur baptizare; nam quisque tenetur lege charitatis subvenire proximo necessitatem patienti, nisi alius adsit qui possit & velit subvenire. Tunc tamen si plures adsint; præferri debet Diacono; Sacerdos, ille Subdiacono, hic inferioribus Clericis, Clericus Laico, Vir fœminæ, Fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato: nam reverentia Sacramento debita exigit, ut digniores præferantur per se loquendo. Quare mortale est si sine causa justa non præferatur Sacerdos non Sacerdoti, fidelis non Baptizato; non excommunicatus excommunicato, Diaconus; non Diacono: nam tunc fit gravis irreverentia in Sacramento. Inversio autem Ordinis quo ad alios juxta multos est solum venialis; quia irreverentia non censetur gravis. Dixi, per se loquendo; quia per accidens potest hic Ordo inverti; nam ex Rituali Roman. mulier præferri debet viro, vel ratione majoris peritiæ ad baptizandum, vel ratione honestatis ac pudoris, ut si infans ob periculum vitæ imminens sit baptizandus, antequam totaliter ex utero prodierit: *Quapropter curare debet Parochus, ut fideles*

deles præsertim Obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & servant. ait Rituale Roman. & hæ ad id graviter tenentur ex charitate & officio, ideoque ex Justitia propter pericula sæpè contingentia in partu. Porrò Pater & Mater prohibentur propriam prolem baptizare, nisi in articulo mortis & deficiente alio.

Not. Mortale est extra necessitatem baptizare sine solemnitate & extra Ecclesiam, præter Filium Regis aut Principis, *Clement de Bapt.* quia Ecclesia ob honorem Sacramenti, solemnitates graviter præcipit.

Q. 9. Quid dicendum de Patrinis?

Resp. I. Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, & manante ex Apostolica traditione debet sub mortali adhiheri, in Baptismo solemniter, susceptor, seu Patrinus, vel susceptrix, seu Matrinx. Unus autem tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una adhibeantur ex decreto. *Trid. sess. 24. c. 2.*

Resp. II. Patrini officium est. 1. Offerre Baptizandum Baptizanti. 2. Respondere pro Baptizando, si is per se nequeat. 3. Tenere illum dum baptizatur. 4. Levare de fonte. 5. Eum suscipere de manu baptizantis. 6. Tenetur sub mortali tum ob solemnem suam sponsionem in suscipiendo hoc officio, tum ex præcepto Ecclesiæ curare, ut Baptizatus in rebus fidei, & Doctrina Christiana rectè erudiatur, & Christianè vivat, si alii id non præstent